





128.

N° 32

1620, 12

17



DISPUTATIO JURIDICA  
De  
ADOPTIONIBUS.

Quam  
Divina adspirante gratia

EX

Magnifici & Amplissimi Jctorum in alma  
hac Salana ordinis consensu & permis-  
sione

PRÆSIDE

CHRISTOPHORO SCHAPERO  
Brunsvicensi Saxo.

Exercitij gratia ventilandam pro-  
ponit

SEBASTIANUS WERTHER  
Quedlinburgensis Saxo.

Ad diem 6. Decembr.

J E N Æ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI.

Anno 1620.





*Amplissimis, Prudentissimis, Doctissimisq;*

VIRIS

CASPARO GERLACHIO,  
Præfecto & Possessori Anhaltinæ  
Dioceseos, Domusque Gernro-  
densis.

DNN. JOHANNI Gerckenn / Veltheimensi Præ-  
fecto in Dornburgk.

CHRISTOPHORO Junckern / Præfe-  
cto & Possessori Domus in Opperoda.

CHRISTOPHORO GERLACHIO,  
Quæstori Goltsteinensis in  
Zolckaw.

*Patris, Patruo magno, Patronis &  
promotoribus plurimum colendis, bono-  
randis*

*In signum pietatis & observantia,  
loco strenua  
D. D. D.*

Sebastianus Werther Auth.  
& Resp.



ptionem sibi facere *l. Et qui 30. D. b. t.* Atq; adeo nepo-  
tem in locum filij licet adoptare, licet filium quis non  
habeat §. *Et tam 6. f. eod.* Imo & nepotem ex uno filio  
in locum nepotis ex altero filio *l. si pater familias 15. §. 1.*  
*D. eod.* Ut & pater naturalis filium suum, quem antea  
emancipaverat, *l. qui 12. D. eod.* Faciunt enim hoc quasi  
quilibet extraneus non quasi avus aut pater *d. l. si pa-  
ter familias §. 1.*

6. Fratrem autem per adoptionem nemo sibi  
facere potest, cum nec naturâ fratrem generare queat  
*l. 7. C. de hered. Inst.* Atque adeo nec sororem: Vel fi-  
lium in locum filia, quia pro monstro esset. Reliqua  
verba definitionis ostendunt causam finalem, de qua  
infra.

7. Quod ad divisionem; dispescitur Adoptio  
in duas species Arrogationem & Adoptionem specia-  
lem. *l. 1. 2. pr. D. b. t. §. 1. f. eod. Agell. N. A. lib. 5, c. 19.* Et præ-  
ter has duas, ullam aliam adoptionis speciem nec esse  
nec inveniri posse statuimus.

8. Arrogatio est adoptio ejus qui est sui juris,  
*l. 2. D. b. t. §. 1. f. eod.* dicta quod & is qui adoptat rogatur,  
id est interrogatur, an velit eum quem adoptaturus sit,  
justum sibi filium esse, & is qui adoptatur, rogatur an id  
fieri patiatur *d. l. 2. pr.* Adoptio in specie est adoptio fi-  
lij familias, *d. l. 1. d. l. 2. pr. v. Imperio magistratus* & vel  
ab extraneo, vel ab ascendente avo scilicet paterno vel  
materno juxta §. 2, *f. b. t.* fieri potest.

9. Ultraque certis modis constituitur, & certis  
item resolvitur. In constitutione considero causam &  
effectum. Illamq; vel externam vel internam. Exter-  
na est efficiens & finis Efficiens est vel remota vel pro-  
pinqua,

pinqua. Remotam ponimus Jus Civile arg. §. 2. J. d. pat.  
pot: Vide & supr. t. b. 4. junct. l. 30. d. V. S.

10. Dico Jus Civile: Idq; sive originem sive for-  
mam spectes, non obstante quod adoptionis usus apud  
alias etiam gentes fuerit frequentatus. *Gan. 45. vers. 5.*  
*Act. 7. v. 11. l. 7. C. de hered. Instit.* quia hoc potuit esse ex  
instituti hujus vel illius populi qui tamen jus gen-  
tium non constituit, §. 1. & 2. J. d. J. N. G. & C.

11. Causa efficiens propinqua est consensus eo-  
rum, qui hoc actu utuntur, quorum consideranda tum  
quantitas, tum qualitas. Quantitas quidem; ut, quod  
semper in arrogatione exigatur consensus duarum,  
principalium personarum, Arrogantis & Arrogati, d.  
*l. 2. pr. & 15. D. eod.* Vel curatoris, cum adolescens arro-  
gatur, *l. 8. D. eod.*

*Infructum et arca huius in hunc modum  
patris cum arrogati in p. 1. l. 1. d. de vet.*

12. In adoptione vero speciali trium requiritur  
consensus personarum; nimirum patris qui dat in ad-  
optionem; filij familias qui datur; & deniq; qui ado-  
ptat, *d. l. 5.* Interdum & quartæ, puta filij, cum pater eo-  
jus nepotem sibi adoptat; quasi ex filio natum *l. cum  
nepos 6. D. b. t.* Verum hujus consensus ad ipsam ado-  
ptionem constituendam non est necessarius, cum & si-  
ne eo adoptio consistat sed propter aliud, nempe ut  
ipso filio agnoscat hic nepos suus heres *l. 10. l. 11. l. 44.  
D. b. t. §. 7. D. eod. Don. 2. Comm. 22. Et Ægid. Hort. ad d. §. 7.  
J. b. t.*

13. Et principalium quidem consensus à præ-  
sentibus fieri debet, absens enim & dissentiens neq; ar-  
rogari neq; adoptari potest, *l. 24. 25. §. 1. D. b. t. & l. ult. C.  
eod.* unde nec in adoptionem consentire quis potest  
per procuratorem *l. 25. §. 1.* Et quidem in arrogato con-  
sensus iste debet esse expressus *d. 5. ibi. voluntas explora-*

*sur D. b. t. quæ etiam causa est, quod infans arrogari non possit d. l. 2. pr. ibi. Rogatur an id fieri patiatur. D. eod.*

14. In adoptato vero tacitus cōsensus sufficit, modo is non contradicat. *d. l. 5.* Hinc patet cur etiam infans in adoptionem dari possit *l. 42. D. eod.* quia scilicet non necesse est, ut aperte consentiat, & sic tacendo pro non contradicente habetur.

15. Qualitas vero hoc actu utentium est, ut ij tales sint qui jure consentire possint. Possunt autem omnes qui non prohibentur. Prohibitio concernit vel arrogandum, vel eum, qui adoptare in specie cupit.

16. Arrogari quidem neq; infans potest, ut *supr. in th. 13.* neq; libertus alienus, *l. 95. §. f. D. eod.* ne scilicet injuria fiat patrono *Don, 2. Comm. 23.* quæ injuria quia cessat in ipso patrono, ab eo rectè libertus proprius arrogari potest *l. f. de stat. Hom. & l. f. D. d. adoption.* Inde tamen non efficitur ut sic arrogatus fiat ingenuus: manet enim libertinus, *Agell. 5. N. A. 19. d. l. f. b. t. d. l. f. D. de stat. bomin:*

17. Olim etiam foeminæ arrogari non poterant, ratio; quia cum illis nulla comitorum erat communio, *Agell. d. loco* ut nec impubes seu investiceps: Videtur n. arrogator potius captare hujus bona, quam cum velle habere filium; *A. Matth. in not.* Hodie possunt foeminæ quidem indistinctè *l. 21. D. eod.* Impuberes vero cum causæ cognitione, cōditionibus quibusdam adhibitis, de quibus infra *l. 17. cum seq. D. b. t. & §. 3. eod.*

18. Adoptare prohibetur quis ob causas, quæ vel communes sunt arrogationi cum adoptione; vel arrogationis propriæ. Causarum communium quædam veniunt ab ætate; quædam à qualitate aliqua inhaerente,

rente. Propter ætatem quidem prohibetur adoptare  
minor decem & octo annis *l. 40. §. 1. ff. b. t. §. 4. f. eod.*

19. Nec est, quod quis dicat, cum qui egressus est  
annum decimum quartum, nuptias contrahere & na-  
turâ generare posse, *pr. f. d. nupt. junct. pr. f. quib. mod.  
tut. fin.* ergo posse eum & adoptare. Respondetur e-  
nim ut ut is maxime suscipere possit filium, qui est an-  
norum quatuordecim, rarò tamen id evenire, ut cui-  
quam subolescat proles ante decimum octavum an-  
num; jus autem de ijs constitutum esse, quæ frequen-  
ter non quæ raro fiunt *l. 3. 4. 5. D. d. L. L. Don. 2. Com. 22.*

20. Qualitatem inhærentem ob quam quis ad-  
optare prohibetur, causatur vel natura, vel jus. Na-  
tura consideratur velut integra, vel ut corrupta. Inte-  
grâ prohibetur quis vel ob sexum muliebrem, vel ob  
rationem liberorum; Sexus muliebris foeminam pro-  
hibet, ne adoptet; hoc enim esset contra finem ado-  
ptionis, de quo infra. Et cum foeminæ neq; naturales  
liberos habeant in potestate; quomodo facient sui ius-  
ris alienos & adoptatos? *§. foemina 10. f. b. t.*

21. Conceditamen foeminis potest rescripto &  
indulgentia principis, ut in solatium liberorum amif-  
forum adoptare possint *d. §. foemina 10 l. 5. C. eod.* Per hoc  
tamen foemina tantum juris duntaxat consequuntur,  
quantum habituræ fuissent, si filii superstites vixissent,  
*d. l. 5. C. eod.* Et sic adoptio ista à foemina facta facit a-  
doptatum quidem filium, sed non filium familias.

22. Corrupta natura est in eo, qui in perpetuum  
generare non potest, propter *§. minorem 4. f. eod.* Ta-  
lis est Castratus sive Eunuchus, talis qui natura sine vi-  
rilibus editus est; talis cui arte vel herbis omnino a-  
demta est virilitas. Hi igitur omnes adoptare non pos-  
sunt *§. 9. f. eod.*

Di-

23. Dico in perpetuum: spadones enim qui tempore generare non possunt, & quorum vitium sanabile est, quales etiam statuimus esse Thlasias & Thlibias, *Gædd. in l. 128. d. V. S. n. 2. & seq.* nihilominus adoptare possunt *d. §. 9.* Item coelibes *l. 30. D. eod.* Ratio quia voluntate & tempore impediuntur, non natura & perpetuo.

24. Ratio liberorum adoptare quem prohibet, quando vel eorum unum aut plures habet, vel adhuc plures generare potest. Qui liberos habent ideo sine justa causa adoptare prohibentur, ne aut illorum quos justis nuptiis procreaverint, de minuatur spes, aut qui adoptatus fuerit, minus percipiat, quam dignum fuit eum consequi *d. l. 17. §. 3. b. t.*

25. Qualitas, quam jus causatur, est vel ab adoptione precedente, vel à delicto patris. Ab adoptione precedente; Cum pater adoptivus filium adoptivum, quem semel emancipavit, aut alij in adoptionem dedit, non possit readoptare, *l. 37. §. 1. D. eod.* Secus est in patre naturali, qui emancipatum vel in adoptionem datum filium recte adoptat *l. 12. D. eod.* A delicto patris; Cum pater naturalis filium extra nuptias susceptum arrogare vel adoptare nequeat *l. 17. C. de nat. liber.*

26. Propriæ arrogationis causæ, propter quas scilicet arrogare non adoptare quis prohibetur, sunt, vel suspicio, vel ætas. Suspicio, qualis cadere potest in tutores vel curatores, ne videlicet ideo pupillum vel adultum ante vigesimum quintum annum arrogent, ne rationes reddant *l. 17. pr. D. eod.* quæ suspicio quia cessat in tutore vitrico, permittitur ipsi adoptare privignum suum, *l. 32. §. 1. D. eod.*

27. Ob ætatem minor sexagenario, quamvis  
gene.

generare possit, ideo tamen arrogare non potest, quia magis liberorum creationi studere debet, nisi forte morbus aut valetudo in causa sit, aut alia justa causa arrogandi. Veluti si conjunctam sibi personam velit adoptare. *l. 15. §. 2. b. t.*

28. Finis adoptionis est vel intermedius vel ultimus. Intermedium indicat §. *faemina 90. f. b. t.* nempe solatium, illis scilicet qui liberos non habent, vel amiserunt, unde & Tacitus: Ab optimis quibuscunque desiderata est inquit & usurpata, quia generare & nasci fortuitum est, adoptandi autem judicium integrum: & si velis optimum quemque potes in spem nominis eligere.

29. Ultimus est ut per eam liberi fiant, *l. 1. D. b. f. eod.* & hactenus de causis externis.

30. Causa interna est forma, quæ consistit in solennitatibus huic actui adoptionis adhibendis, earum autem iterum aliæ sunt in arrogatione, alia in adoptione. Arrogationis solennitates considerantur vel secundum jus verus, vel secundum novum. Veteri jure, arrogatio fiebat Lege Curiata, sive in Comitijis Curiatis, apud populum, per suffragia & rogationem *Æg: Hort. tt.* Ejus rogationis verba reperire est apud *Agell: d. c. 19.*

31. Novo jure id est post Legem Regiam latam. *Vult. lib. 1. f. prud. Rom. c. 2. §. Æg: Hort. d. loco* desiderat arrogationis forma ubique; rescriptum principis & causæ cognitionem. Interdum & cautionem. Illa duo desiderat, sive pubes sive impubes arrogatur; hanc etiam cum impubes. De rescripto principis cavetur *in l. 2. D. b. t. §. 1. f. eod. §. l. 6. C. eod.* De causæ cognitione & cautione *in d. l. nec ei 17. cum ll. sqq. l. 2. C. eod.*

B

Et

32. Et causæ quidem cognitio debet fieri apud competentem Magistratum, arrogatore & arrogato præsentibus, secundū ea quæ supr diximus *h. 13*. Competens Magistratus is est, apud quem legis actio est, *l. 1. C. l. 4. D. b. t.* qualis dicitur esse Prætor, Item Præses *d. h. 2. C. eod.* Causæ autem cognitio potissimum vertitur in quatuor rebus, quæ enumerantur *d. l. nec ei 17. §. 2. cum seq.*

33. In arrogatione impuberis, specialiter, ut dixi, exigitur cautio, quæ nihil aliud hic est, quam satisfactio, quæ fit idoneis fidejussoribus datis, *d. l. impuberum 2. C. b. t.* Hujus considerandus hic tum modus, quo cavetur, tum res quarum gratia cavetur.

34. Modus olim erat ut caveretur servo publico *l. non aliter 18. D. b. t.* cui scilicet caveri seu promitti poterat, vice ipsius civitatis, quo tempore servi notarij, sive tabularij esse poterant. Nunc postquam servos hujus officij incapaces esse, Imp. Honorius & Arcadius voluerunt, *l. generalis 3. C. d. Tabul: lib. 10.* cavetur personæ publicæ, *d. §. 3. 7. h. t.* Notario seu tabellioni *l. Orphanotrophos 32. C. de Episc. & Cleric. l. 4. pr. C. d. recept. arbitr. Confer. Egid. Hortens: l. h. t.*

35. Res cuius gratia cavetur, sunt bona pupilli arrogati ut si is intra pubertatem decesserit, Arrogator ea tam restituere velit illis qui ad successionem aliàs venturi essent, quàm si arrogatio facta non esset *d. §. 3. l. & D. l. non aliter 18. h. t.*

36. Solennitates adoptionis specialis, considerantur etiam aliter de jure veteri, aliter de jure novo, veteri jure fiebat adoptio per æs & libram, seu imaginariam venditionem, quæ vel uno nummo æreo, auro, argenteo, ferreo expediebatur, *Goodd: in l. 159. de*

de V. S. n. 2. de quo ritu vide Agell: d. e. 19. Vlpian. in  
fragm. pr. I. qui in potest. mancipiove sunt Caj: in fragm.  
t. 6. §. 3. l. f. C. de adopt.

37. Novo jure, abrogatis illis veterum emanci-  
pationibus & manumissionibus, solennitas, quam in a-  
doptione intervenire oportet, præscripta est in d. l. f. C.  
b. 1. Et ferè his tribus constat; Competente judice, si-  
ve magistratu, cujus autoritate fiat adoptio; Præsen-  
tia personarum in adoptionem consentientium; & a-  
ctis intervenientibus.

38. De posterioribus duobus satis constat. Com-  
petens judex est, ut & supr. l. b. 33. dictum, omnis apud  
quem est legis actio, veluti est consul, l. 3. D. eod. Prætor,  
Præses §. 8. l. eod. Proconsul l. 36. §. 1. eod. l. 17. de manumiss.  
Vindict. & legatus proconsulis arg. l. 17. junct. l. 2. 3. De  
offic. procon: Intellige mandatâ ipsi à pro cōsule juris-  
dictione, ex quo provinciam ingressus est, l. 4. 6. de off.  
procon: Don. 17. Com: 8. Ungepaur Exerc: justinian: 2. qu. 7.

39. Ex his jam dictis constat adoptionem aliis  
modis fieri non posse, quam principali rescripto, aut  
imperio magistratus §. 1. l. eod. Adjiciunt quidem alii  
& modum tertium, qui scilicet possit & in testamento  
rectè fieri, idq; propter autoritatem Vellei Paterculi  
lib. 2. & Sueton: in Jul: Cæs. c. 33. qui G. Octavium à Cæsa-  
re adoptatum scribunt. Verum illa adoptio non jure  
facta, lege Curiata deinde à populo confirmata fuit,  
ut potest l. adoptio 38. D. eod. Et tantum etiam de causa  
interna.

40. Sequuntur effectus: Quorum quidam ar-  
rogationi communes sunt cum adoptione, quidam  
cujusq; proprii. Adoptionem, cum hic dico, intelligi  
volo adoptionem, ab ascendente aliquo factam, sive pa-

terno sive materno, non eam qua ab extraneo fit.

41. Adoptio enim ab extraneo facta, nisi adoptato jura successionis ab intestato in bonis patris adoptivi tribuerentur ex Constit. Justiniani, quæ est *l. pen. C. b. t. & §. 2. f. eod.* omni penè effectu careret, & sic filium familias non facit, sed tantum filium, cum jura patris naturalis in effectu non dissolvantur, nec filius jus sui heredis ac bona patris sui amittat *d. §. 2. de adopt. & §. 4. f. de hered. qua ab Intest.*

42. Dissentit quidem A. Matth. & alii qui tradunt adoptatum ab extraneo transire in familiam & potestatem ejus, de quorum tamen argumentis in conflictu videbimus. Verum stante nostra sententia, consentaneum est, quod plebejus à nobili extraneo adoptatus, non nobilitetur, *per d. l. pen. §. 1.* Et per hoc nec ejus uti insigniis possit, *Vide Treutl. par. 1. Sect. disp. tb. 30. lit. A.*

43. Effectus igitur communes arrogationi cum illa adoptione, ab ascendente facta, sunt vel principales, vel consuetanei. Principalis adoptionis sive arrogationis effectus est, quod fiant per adoptionem filii familias, *l. 1. D. eod.* Infra quod adoptatus transeat in adoptantis potestatem & familiam: Adoptans vero accipiat jus patris legitimi in filium *pr. & §. illud ij. f. & l. 2. D. eod.*

44. Effectus communes consuetanei sunt, quod adoptatus vel amittat quæ ante habuit, vel accipit, quæ non habuit. Habuit antea caput (Quod non rectè filio familias denegat *M. Lycbl. à Nyebott. lib. 1. membran. relog. 27.* referente eum *Ungepaar in Exerc. Justin: 2. qu. 2. in Nego.*) eo per adoptionem jam minutus est *§. minima 3. f. de Capit. Diminut.*

Non

45. Non habuit jus sunitatis jus agnationis & dignitatem; ea per adoptionem accipit. Jus sunitatis; quia in successione adoptivi ejusdem juris habentur, cuius sunt iusti nuptiis quæsi, adeo ut vel sint heredes instituendi vel exheredandi §. *adoptivi 4. 7. de exhered. libror.* Excipitur successio Feudalis, ad quam adoptivi non admittuntur, c. *adoptivus 2. Feud. 26.* Cum in feudis ius sanguinis spectetur quod adoptio non offert, l. *qui in adoptionem 23. D. h. t.*

46. Jus agnationis autem, quia hoc adoptio inducere dicitur, d. l. *qui in adoptionem 23. D. h. t.* non etiam cognationis nisi quatenus cognatio est nomen generis, ut agnationem simul complectatur, l. 1. §. 4. *unde de cognat. junct. l. 10 §. 4. de gradibus.* Unde pater arrogatum sive adoptatum ab ascendente, fieri nobilem, ex ignobili si gentem spectes, non si genus: *Vid. Gotb. ad d. l. 1 §. 4. Unde cogn.* & propterea omnia gentilicia jura & privilegia usurpare posse. *Vid. eund. Gotb. ad d. l. qui in adoptionem 23.*

47. Dignitatem denique per adoptionem accipit adoptatus, si quam pater adoptivus habet. Sed nec ea, quam ipse adoptatus habuit, per adoptionem minuitur. Unde plebeius à senatore adoptatus, fit senatoris filius; Et contra senator à plebeio adoptatus manet senator, l. 13. l. 35. *D. eod.*

48. Fuerunt effectus communes. Sequuntur proprii: Isque vel adoptionis vel arrogationis. Arrogationis proprii effectus, pertinent vel ad omnes arrogatos; Vel ad imberes tantum. Effectus, qui ad omnes pertinent, est, quod pater familias dando, se arrogandum, cum capite fortunas quoque suus in familiam & domum alienam transferat l. 11. §. 2. *D. d. bonor. possess. secundum tabul.*

B 3

Cum

49. Cum JCtus dicit cum capite, intelligi vult  
omnem arrogati familiam, tutelam & substitutionem,  
quæ per capitis diminutionem perimuntur. Familiam  
quidem, quia ipse jam est in alterius familia, ergo pro-  
prium habere non potest §. 3. *J. per qu. pers. cuiq. ad qu.*  
Tutelam vero & substitutionem, quia utraq. pertinet  
ad pupillos, qualis per capitis diminutionem mini-  
mam arrogatus esse desinit, *Conf. pr. J. d. tutel. junc. §. 4.*  
*vers. sed pupill. J. quib. mod. tut. fin.* Item §. 4. *J. quib. mod.*  
*Test. infir. junc. §. 2. J. de pupill. substitut.*

50. Quod autem JCtus addit fortunas; intelligi  
vult omnes res arrogati externas, & simul etiam libe-  
ros, De rebus vid. *tt. d. acquisit. per arrog.* De liberis sunt  
textus in §. *illud ii. J. b. t. l. 2. §. 2. ibi non solum ipse potesta-*  
*ti arrogatoris subicitur, sed etiã liberi ejus in ejusdem sunt*  
*potestate tanquam nepotes, §. l. 40. D. eod.* Ratio: quia qui  
non est suæ potestatis, alium in sua potestate non ha-  
bet *l. sic eveniet. 21. ad L. Jul. de adulter. §. 3. I. per qu. pers.*  
*cuiq. acquiriur l. 54. §. f. d. A. R. D.*

51. Effectus qui impuberes tantum arrogatos  
spectat, habetur in §. *cum a. 3. vers. Item non aliter, I. b. t.*  
nimirum quod arrogatus nec exheredari nec emanci-  
pari temere possit, sed demum si causa cognita dignus  
emancipatione vel exheredatione fuerit, & tunc ut  
sua bona sibi reddantur. Justæ a. emancipandi causæ  
sunt illæ, ex quibus & exheredatio locum habet, *Lin-*  
*dem: disp. l. t. 11. t. b. 6.*

52. Quod si igitur arrogator contrafecerit, &  
cum sine justa causa vel vivus emancipaverit, vel de-  
cedens exheredaverit, effectum est constitutione D.  
Pij, ut arrogatore defuncto non solum impuberi arro-  
gato bona reddantur, quæ ad patrem adoptivum trans-  
tulcrat,

stulerat, sed ut præter illa, etiam ex ipsis arrogatoris  
boni quarta pars ad arrogatum pertineat, l. 1. §. si in-  
pubere 21. D. d. collat. bonor. l. 22. pr. & §. 1. D. d. adopt. l. 2. C.  
& §. 3. vers. Item non aliter l. eod. l. 8. §. 15. D. d. inoffic. Testa-  
tam:

53. Sed quæstionis est: hæc quarta an sit omnium  
bonorum arrogatoris, an tantum portionis ab intesta-  
to debitæ de qua in d. l. 8. §. 2. d. inoffic. Test. Et magis est  
ut dicamus esse omnium bonorum quartam cum Do-  
nell. 2. Com. 23. Pac. Wesenbec. & A. Matth. in notis ad  
l. h. t.

54. Adoptionis proprii effectus sunt, vel respec-  
tu patris naturalis dantis in adoptionem, vel respectu  
eius qui datur. Respectu patris facit adoptio, ut is  
filium quem in potestate habuit, habere desinat, cum  
is transeat in jus ac familiam patris adoptivi. d. §. 2. vers.  
si vero pater l. h. t.

55. Respectu vero adoptati; quod is, quamvis  
habeat liberos, solus tamen transeat; Secus ac in ar-  
rogatione, ut supr. dictum in l. b. 50. Ratio diversitatis  
est, quod adoptivus non æque filium suum habeat in  
potestate, atque habet arrogatus l. 40. pr. D. eod. Et tan-  
tum de modis quibus adoptio constituitur.

56. Restant modi quibus eadem resolvitur. Re-  
solvi ut autem adoptio iisdem modis, quibus & patria  
potestas. Ij sunt vel ex jure antiquo deprompti, vel ex  
novo; Ex antiquo est mors & emancipatio. Mors est  
vel naturalis vel civilis; Illa desinit quis esse homo; &  
consequenter desinit esse pater & filius, qua de pr. l.  
quib. mod. jus pat. pot. solv. Hac vero desinit esse civis, &  
consequenter etiam pater vel filius civilis sive legiti-  
mus, ut quando deportatur sive in metallum damna-

tur.

itur; Item quando apud hostes est, vel servus poenæ efficitur §. 1. 3. 5. I. d. t.

57. Emancipatio v. est vel propria vel impropria. Propria quidem; qua quis à potestate patria liberatur, & de ea est §. *præterea 6, l. d. t. l. f. C. de mancipat. lib. 2. §. 3. fragm. Caij 16.* Impropria vero; qua pater adoptivus extraneus filium in potestate patris naturalis retentum à se dimittit; qua in significatione usurpatur. *in l. pen. vers. tum & enim necesse est, & §. sed ne articulum. 1. vers. sed siquidem remaneat, C. eod.*

58. Modus qui est ex jure novo, est omnis dignitas & omne cingulum, quod à curia liberare valet. §. 4. I. *quir. mod. l. pp. solv. & Nov. §. 71. c. 1. Nov. 123 c. 4. in f. c. si Servus 54. dist. 20.* Quæ sint autem illæ dignitates explicatur *in l. f. C. de decur. l. 10.*

59. Sed quid? Anne & Doctoratus dignitas inter illas erit referenda? Negantium opinio præpolet, *subr. propter §. filius familias 4. I. Quibus mod. l. pp. solv. Vid. Everhard. in tog. loc. à militia. 2. Propter d. Nov. 81. c. 1.* Doctoratus enim dignitas à curia non liberare solet.

60. Coronidis denique loco sit hæc quæstio? An si quis filium adoptaverit, & deinde monachus factus fuerit, an per monachisnum adoptantis filius liberetur à patria potestate? Videbatur dicendum quod sic propter *l. 21. D. ad L. Iul. de adult. f.* Monachus enim est in potestate ablati. Sed negativam sententiam tuebimur.

F I N I S.

Præstantissimo Doctissimoq;  
viro - juveni.

Dn. Sebastiano Werthero  
Respondenti Amico & Collegæ  
meo observando.

Quod modò adoptivus, *WERTHER*, quid  
adoptio, monstras,  
Dans studii specimen non triviale tui.  
Judicii trutinà quod pendis lemmata, solvens  
Perplexas acri dexteritate strophas  
Ritè facis : grator genii mentisq; decentes  
Conatus : similes carpiro sæpè vias  
Sic & adoptator tibi, Phœbus & ipse, fa-  
vebunt,  
Thespiadum turba sic quoq; carus eris  
Imo perpetuos tibi conciliabis honores  
Et magnùm venies magnus in ora virùm.

Pro felici fuccellu gratulabundus  
acclamabam.

Christophorus Schaperus  
Præses,

C

Jocus

Jocus Germano-Latinus  
In adoptionem Domini  
Respondentis..

**N**on raro subire meam mirawundria mentem,  
Curnam Gerlachij sic werdere filius optes,  
Illius & per te functos ersetzere kindros;  
Cum tu Saxo tamen, sed sit Neopyrgicus ille?  
Nempè in Saxlando bona schnabelweidia haberes,  
Säwkopfoq; tuum poteras feinspickere maulum  
Vel Kuckmagenio, vel guto deniq; Schlaqko,  
Nec tibi deficeret saurus cum Speckide Koblus,  
Nec cum Gensbakio, nec cum Schinckedine Knackwurst;  
Schmahlibus hic sit opus cum verliebnemere bisis.  
Cumq; ibi Breybanium biberes, Mummamq;, Gosamq;,  
Stultè Jenensem bibis hic pro tempore Klatzscham.  
Amplius at jam non me wundrio: nam benè schmeckunt  
Hac patri, Wertbere, tuo quoq; scilicet ille,  
Ut video, mavult sic Sachsenkerlius esse,  
Quàm vel heringsnasmus dici, qui süßtamehta  
Captans, Fabrmarcktum quo vis vermëbreat anno,  
Ergò probè, Wertbere, stude: Velut ille Turingus -  
Saxo; sic postbac mihi eris tu Saxo - Turingus.

Adjectus

à

J. S. VV.

ALIUD.



ALIUD.

UT quondam Paridem, quo non formosior  
alter,

Ad fera Tyndaridis bella coëgit amor.

Sic te Verterum, Charitū qui flosculus, ardor

Juris ad Astrææ castra sacrata vocat.

Pralia fortis inis: pugnas non Marte, sed  
Arte,

Missaq, judicii tela rigore teris.

Dum modo pro nosse & pro posse Sophismata  
solvens

Sub duce Schapero lemmata culta tegis:

Lemmata, materiem que dant certamine  
dignam:

Quis & adoptivo non magis apta tibi.

Hos plenis ausus buccis ego predico, laude

Et genii vires ingeniiq, fero.

Pergito: si perges similes committere pugnas,

Ad patrios figes clara trophæa focos.

Si

*Si quoq; persolues posthac non dogmata segnis  
Juris, & Aonidum sacra vireta coles.  
Doctus adoptivum temet vocitabit Apollo,  
Et tibi conspicui pandet honoris iter.  
Quin soboles Themidos fies carissima, ripis  
Quæ tibi Lethais nescia ferta dabit.*

Henricus-Julius Benghals Guel-  
pherbytanus Saxo.

F I N I S.



ULB Halle

3


006 608 973




Mus R+M

V077







1620, 12  
17


RIDICA  
NIBUS.

gratia  
ctorum in alma  
& permis-

SCHAPERO  
one.  
andam pro-

WERTHER  
s Saxo.  
embr.

WEIDNERI.  
o.



20.

